



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De magnifica commendatione eius à cantore Parisiensi. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

beatæ Mariæ, in qua reuerendæ traditur sepulturæ; vbi frequenter verbum Dei noscitur viva voce predicasse. Ibi non longè à sanctuario requiescit in pace, cum ceteris fidelibus resuscitandus in nonissimo die, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Hæc pauca de pluribus & magnificis actibus venerabilis magistri Gerardi, pro edificatione præsentium & futurorum fratrum nostræ congregationis, sint dicta ad laudem Domini nostri Iesu Christi. Peto autem veniam mihi dari, pro omni errore & sermonis defectu, quia imperitiam meam agnosco, & fraternæ correctioni humiliter me subijcio, gratiæ Dei tribuens, quicquid boni hîc scriptum inuenitur.

Notitius.

6. **M**ultum desideranter ista audio, & quasi nouum deotionis spiritum sentio mihi exinde generari. O si multam tales magistri possent inueniri, qui Ecclesiam Dei tam præclaris exemplis & doctrinis conarentur informare. Quapropter egregium virum hæcenus mihi ignotum, in maiori reuerentia dilectionis habeo, & eius scripta ac gesta, vbicunque inuenero, studiosè perlegere & indagare curabo. Sed quæso te, si adhuc aliqua commendabilia de eo nosti, quatenus hæc mihi prius edisseras, antequam ad vltiora procedas.

Senior.

7. **L**icet ad alia scribenda festinem, tamen vt tuo desiderio satisfaciam, paucis audi, quid de eodem quidam doctor in theologia cantor Parisiensis, olim ipsi familiaris scribit, & quanta eum laude post mortem extollit.

CAPVT XVII.

De magnifica commendatione eius, à cantore Parisiensi.

1. **S**acræ recordationis magister Gerardus, dictus Magnus, feliciter migravit ad Dominum. Et verè Magnus, quoniam in omnibus scientijs liberalibus, naturalibus, moralibus, ciuilibus, canonicis, & theologicis, simul in vno supposito congregatis, nulli secundus erat in orbe. Erat etiam tantæ sanctitatis & exempli in mortificatione carnis, in abnegatione temporalium, in contemptu mundi, in charitate fraterna ad omnes, in desiderio salutis animarum, in efficacia prædicationis, in reprobatione & detestatione vitiorum, in opponendo se hereticis, in persequendo secundum iura canonica concubisarios, in conuertendo.

M in m. vitam

vitam spiritualement plures viros ac mulieres, prius secundum seculum viuentes; in fidelitate ad Dominum nostrum Vrbanum sextum, quod multa millia personarum testificarentur de credulitate, quod credunt eum fuisse non minorem in dictis virtutibus, quam in antedictis scientijs. Magister VVilhelmus de Saluaruilla cantor Parisiensis, Archidiaconus Brabantiae in ecclesia Leodiensi, Doctor in theologia praecellens, haec praedicta compilauit, prout ab ore fide dignorum audiuit, & secundum quod ipse magistrum Gerardum nouit, vera esse procul dubio credit.

Notitias.

2. **C**onsonant scriptis tuis verba supradicti doctoris, de veridica laude magistri Gerardi, primi nostrae religionis institutoris. Nam quod doctor praecellens breuiter & summatim conscripsit, tu largiore stilo reserasti. Vnde quo plura testimonia de venerabili viro percipio, eo amplius exulto, & dictis eius fidem firmitus adhibeo.

Senior.

3. **V**T ergo non tantum aliorum testimonijs informeris, ad habendam notitiam magistri fidelissimi, volo introducere eloquia oris eius: quatenus publica protestatione eius lecta, cognoscas clarè, quid viuens ipse docuerit & professus sit.

C A P V T X V I I I .

*De publica protestatione eius, & de veridica
predicatione Euangelij, quod
pradicauit.*

1. **E**GO Gerardus dictus theutonice Groot, coram omnipotenti Deo, coram omnibus Sanctis, & coram vobis & omnibus hominibus, protestor firmiter me circa ea, quae fidei sunt, in ipso summo lapide IESU CHRISTO fundamento, firmam, illibaram, & catholicam fidem praedicasse & defendisse; atque in via morum sanas, certas, & indubitatas euangelicas & apostolicas doctrinas & vias, secundum scripturas diuinitus inspiratas, docuisse & seminasse secundum

sensus